

In Nomine Supremi Archiatri
DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

PODAGRA,

Quam

Jussu & auctoritate Magnificæ, Nobilissimæ, ac Gra-
tiosissimæ Facultatis Medicæ in celeberrimâ ac floren-
tissimâ Academiâ Salanâ

SUB PRÆSIDIO

VIRI Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi, ac
Experientissimi

DN. GOTHOFREDI MOEBII,
Med. D. ac Prof. Publ. celebra-
rimi, Electoralis Brandenburgici & Administ. Ar-
chiEpisc. Magdeburg. Archiatri eminentissimi, Domini
Promotoris, ac Patroni sui omni honoris & obser-
vantia cultu æviternum devenerandi,

PRO LICENTIA

Impetrandi legitimeq; obtinendi Summos in Arte Me-
dicâ HONORES ac PRIVILEGIA
DOCTORALIA,

Publico placidoq; Philiatorum examini submittit

GOTHOFRIDUS à Landisch in Hörnitz
Zittan. Patrit.

Ad diem 6. Septemb.

Loco & Horis consuetis,

Excudebat CHRISTIANUS LAURENTIUS Kempff/
ANNO M. DC. L.

1650, 2

15

Serenissimi ac Potentissimi
ELECTORIS SAXONIÆ

&c. &c. &c.

VIRIS

Generosis, Magnifico, maximeq; Strenuis

DN. GEORGIO à Löben / Consiliario emi-
nentissimo, Marchionatûs Superioris Lusatia Præfecto
Supremo, in Milkel / Teicha / & Dröben Hæredita-
rio &c. &c.

DN. GEORGIO HEINRICO à Bischoffsheim /
Legionis peditûm Arnheimianz Pro-chiliarcho fortis-
simo, in Görlichheim & Ensenberg Hæreditario.
Dominis ac Mecanatibus meis gratiosis.

Ut &

*Nobilissimis, Consultissimis, Amplissimis, Excellentissimis,
Experientissimis, Prudentissimis,*

DN. ANDREÆ BERNHARDO LEHMANNO,
Med. Doct. Experientissimo in Tschisch & Borschitz Hæ-
reditario Reipubl. Budissin. Consuli & p. t. Regenti
vigilantissimo,

DN. CHRISTIANO HARTIGIO,
Med. Doct. Excell. Equit. D. Marci & Zittav. Reipubl.
Consuli gravissimo,

DN. PHILIPPO STOLLIO, ejusdem
Reipubl. inclytæ Zittavien. Consuli dignissimo,

DN. CASPARO Hertrantst in Ratgendorff /
Senatori ac Protonotario Reipubl. Zittav. meritiss.

DN. JOHANN. Eichlern ab Auritz / Senatori
Reipubl. Zittav. spectatissimo, prudentissimo,

*illis Patronis suis magnis submissâ observantiâ devenerandis, His
Fautoribus, Promotoribus, atq; respectivè Consanguineis
ac Affinibus officiosè colendis.*

Hancce Inauguralem, eâ quâ debuit promptitu-
dine offert

GOTTFRIDUS à Landtsch in Hörsitz Har. Zitt. Patr.
Author & Defendens.

Ex Almâ JENENSI.



In Nomine JESU.



Orporis hujus ergastulo inclusus homo variis doloribus, variisque cruciatibus obnoxius est; inter quos ut sunt famosissimi, ita saevissimi, qui in noto affectu arthritide obvenire solent.

ARTHRITIS autem dicitur eodem modo, quod Nephritis, Pleuritis, Phrenitis; & Graecis deducitur ἀρθρὶς ἀρθρῶν ab articulo, seu parte affecta, teste Gal. l. 2. m. m. c. 2. eodem, quod circa articulos truculentiam suam exserat, & iisdem sit affectio propria. Latinis morbus articularis vocatur. Barbaris, passio arthetica; Antiquioribus Gutta, quia guttatim à defluxu hunc affectum, fieri credebant; Germanis die Gicht, item das Zipperlein forsitan à vocolo & exclamatione dolorifica zip zip vel zitt quasi zitterlein; aliis das Gliederweh; Batavis feresyn, jocosè deo Heeren Kranckheyt, quia ditioribus ob canas dubias cerebrisque vini ingurgitationes & crapulas plerumque familiaris est.

Est autem ARTHRITIS nomen generis sub se habens plurimas species, quae itidem à parte affecta denominantur, uti Chiroagra à manu; Podagra à pede; Chonagra à genu; Omagra ab humero; Trachilagra à cervice &c. Sumitur vel late vel strictè; Late pro quovis dolore articuli, sive sit à causa interna sive ab externa, ut contusione, luxatione, vulnere, ulcere &c. Quemadmodum videre est apud Hippocr. l. 3. aph. 6. & Gal. l. 2. Sympt. caus. c. 5. Strictè verò, & magis propriè pro eo, qui in articulis ab humoris acrioris & salis influxu originem ducit: & in hoc sensu accipitur ab Hipp. & Gal. 6. aph. 28. Dicimus in articulis, unde arthritidem in eadem ossium connexionem, quae fit κατ' ἀρθρῶν, tantum residere subinnumus, & quidem circa ἐν ἀρθρῶν ἰσχιάδα seu dolorem ischiadicum, Omagram; circa

A 2

ἀρθρῶν



ῥεθρωδία Syagonagram; circa *γύγλυμον* Trachilagram, Pe-
 chyagram, Chiragram, Gonagram & Podagram: proinde ex-
 cludimus hunc affectum ab eâ connexionē, quæ fit per
σύμφυτον, eosque errare existimamus, qui Rhinagram & O-
 dontagram species Arthritidis esse contendunt. Omissis aliis
 speciebus, jam jussu & mandato Nobilissimæ, ac Gratiōssimæ
 Facultatis Medicæ eam solummodo publicæ censuræ subjecie-
 mus, quæ præ cæteris communis & à sævissimo pedum tortu,
 dicitur.

I. PODAGRA, ἀπὸ τῆς ἀγρεύειν τὰς πόδας, vel quod sit
 τῶν ποδῶν ἄγχα, pedum captura, uti apud *Lucian.* in *tragop.*
 ipsa Podagra loquitur:

— — — — παρά δε τοῖς πολλοῖς βροτῶν

Ποδάγχα καλεῖται, γιγνομένη ποδῶν ἄγχα.

— — — — à plerisque, autem hominum

Podagra vocor, existens Pedum captura.

II. Sumitur autem (1.) *abusive* sive *jocosè* à *Strobelberge-*
ro, quando tractatum suum de dolore dentium; & à *Capivac-*
cio, quando dolorem lateris, podagricum dolorem lateris no-
 minat, uti in *Consult. Med. à Schultz. coll. 226.* videre est. (2.) *ge-*
neraliter pro quavis specie arthritidis, sive fit in manibus, sive
 in aliis corporis partibus, teste *Crotone Consil. 253.* hinc vulgus
 ait: *er hat das Podagel an Händen und Füßen.* it. *er hat das*
Podagel in den Nacken bekommen. (3.) *Specialiter* pro eo do-
 lore, qui in pedum articulis sævitiam suam exercet, uti ab *Hipp.*
 & *Gal. 6. aph. 28.* accipitur, & ita potest

III. DEFINIRI, quod sit dolor articulorum pedis, cum
 tumore, motus impotentiâ, caloreq; febrili, per intervalla affligens,
 ab humore excrementitio seroso, salino, & tartareo, per arterias in-
 fluente proveniens.

IV. GENUS, per *dolorem* declaravimus, quod tamen
 non omnibus idem esse videtur. A parte nostrâ stantem ha-
 bemus *Sennertum* & multos alios. Alii autem simpliciter per
 Symptoma definiunt; alii per morbum in magnitudine auctâ,
 tumorem considerantes; alii per morbum in cavitate, humo-
 rem in eam influentem respicientes. Non desunt, qui per in-
 flam-

Inflammationem describunt permoti auctoritate Hippocratis 6. aph. 49. ubi ait: Quibuscumq; morbi podagrici fiunt, sedat à inflammatione intra dies quadraginta finiunt. Franciscus India per defluxum definitionem proponit: sed taxat eum Sennertus causam cum genere confundentem. Donatus Antonius ab Altoma: de meden. hum. corp. mal. c. 119. medium investigaturus distinguit, & dicit, quòd hi affectus ratione doloris utique sint symptomata, quemadmodum & reliqui dolores omnes; ratione verò fluxionis, quâ articulationes implentur, & extenduntur, morbi haud inconvenienter appellentur. Verùm horum omnium facilis erit solutio, modò distinguas inter symptoma, & ejus causam. Per dolorem quando damus definitionem, symptoma actionis læsæ seu depravatæ innuimus. Hunc autem dolorem à solutâ unitate, humore defluente, aliisque rebus, quæ ad morbum spectant, fieri, non mirum; sed ideò non nova exstruenda est definitio, nisi forsàn causalis arrideat, qualem sæpè Galenus seligit. Inflammationis vocem latè interdum sumi Galenus l. de constit. art. cap. 15. docet; quod idem hîc ab Hippocrate factitatum existimamus.

V. SUBJECTUM diximus esse articulos pedis. Alii quidem ex Aretæi mente statuunt, ossa hîc dolorem percipere, qui tamen à nervosarum partium cruciatu obscuretur. Alii cavitatem illam, seu spatium, quod est inter extremitates, seu capita ossium, pro subjecto venditant, idque variis rationibus probatum eunt. Verùm enim verò nullum os præter dentes sentire satis superque notum. Deinde multæ rationes, & imprimis topi articulis annati evincunt, humorem tormenti istius causam non in cavitate dictâ, sed extra eam collectum, fuisse. Aliquid tamen humoris interdum sed rariùs in articuli cavitatem simul transfudare doloresque exacerbare, non omninò negamus. Interim rectiùs in articulis genuinum cruciamenti hujus locum designamus. Non intelligimus autem totum articulum sed solùm ejus partes sensu præditas, ut nervos, tendines, membranas, ligamenta; imò & interdum ipsam cutim circumjacentem. Capivaccius quidem, & ejus sequaces ligamenta subjecti loco admittunt, nervos autem & tendines

excipiunt, quum repleti facili negotio convulsionem incur-
re possint: sed scrupulo hoc se extricabit, qui membranas & li-
gamenta repleti, nervos autem & tendines humorum acrimo-
niâ potissimum exterius affici perpendet. *Galenus* quidem liga-
menta omnia sensu destituta esse docuit: sed ea vel puncta, vel
caustico quodam tacta certam hujus rei fidem afferent. Nu-
triendæ sunt hæ partes; verum si humor ad alendum ineptus,
utpote falsus & tartareus, adducatur, qui agglutinari nequeat,
non possunt non dolores fieri. Ipsam cutim circumjacentem
interdum simul affici, ipsi ægroti notabiliter sentiunt, qui sæpè
ne plumulam quidem superjacentem tolerare queunt.

VI. *Tumor* quidem in principio non statim adest, in
progressu tamen morbi sequitur, qui pro materiæ influentis
paucitate, vel copiâ, modò major, modò minor existit. *Motus*
simul impeditur, & quidem semper, ob læsas partes motui in-
servientes, ut ex antea allatis clarum.

VII. *Calor febrilis* podagram, ut & reliquas arthritidis
species vel præcedit, vel cum eâ invadente simul invadit. Ex
quo colligendum, febrem istam non esse symptomaticam, ut
quidam volunt; sed primariam seu comitatam, ortam non ab
humorum putredine, sed sanguinis ebullitione, quâ natura se-
parationem humoris tartarei instituit, obstructionsque, si
quæ concurrunt, tollere satagit. Febris hæc est continua, quæ
tamen matutino tempore non nihil remittit, circa vesperam
verò intenditur. Calor pro diversitate temperamenti modò
est mitior, modò acrior; ab ægris tamen præcipuè dolorem at-
tendentibus, parùm animadvertitur.

VIII. *Per intervalla* plerumque recurrit, nisi vel legiti-
mo sex rerum non naturalium usu remediisque præservato-
riis obviam eatur. Vere & autumno circa æquinoctia reverti
solet, quod notavit *Hippocr.* 3. *aphor.* 28. & 6. *aphor.* 55. circa sol-
stitia idem sæpè fieri, experientia testatur.

IX. CAUSAM PROXIMAM autores variè de-
signant, in quâ exactè indaganda *Aretæus* desperare videtur,
quum l. 2. de caus. & sympt. morb. diuturn. c. 12. inquit: *Veram*
hæc causam soli Dii norunt; probabilem verò & apparentem ho-
mines.

mines. Avicenna l. 3. Fen. 22. c. 7. intemperiem & quidem immate-
rialem pro causâ agnoscit: verùm, addit porrò, à complexione
simplici tam atroces & diuturni dolores haud facilè evenire,
queunt, & qui sint tam diuturni & periodici insuper. Alii in-
temperiem cum materiâ accusant, quod à tumore, concurrente
calore, inflammatione, aliisque symptomatibus colligere vo-
lunt, uti videre est apud Lud. Mercat. cumt, morb. c. 4. Alii pro
diversitate humorum podagram distinguunt in sanguineam,
biliosam, pituitosam, melancholicam. vid Spig. tr. de Podag. item
Pansam de Podag. Forest. obs. de Pod. Fernelius solùm pro hu-
more pituïso pugnat. Mercurialis verò simul addit biliosum.
Rhasis dicit podagram plerumque à pituitâ, sæpè à sanguine,
rarò à bile, rarissimè à melancholiâ oriri. Gal. l. de comp. med.
f. l. c. 2. dicit: aliquando irruens humor sanguineus, ut pluri-
mum verò pituitosus, aut ex pituitoso aut bilioso mistus, aut
etiã sanguine, cum ipsis permisto. Guainerius, Matthæus de
Gradibus, & Vallescus de Tamntâ difficultatibus circa humores in
hoc affectu occurrentes conspectis ad ventositates s. flatus in-
clinare videntur. Carolus Piso in l. de morbis ab illuvie ferosa in
conf. de Arthritide unicam causam, colluviem ferosam, sed a-
quosam accusat. Verùm eniã, verò horum omnium Auto-
rum effata non omnem tollunt scrupulum. Solam immate-
rialem intemperiem non peccare, cum tumor calidus concu-
rens, tum alia symptomata, & ipse modus curandi evidentissi-
mè demonstrant. Sanguineam podagram à cruoris affluxu qui
sibi fingunt, oblivisci videntur puris à sanguine extravasato
corrupto provenienti. Pituitam, bilem, humoremque melan-
cholicum culpa absolvent topi articulis agglutinati & non-
nunquam instar calcis vel cretæ prodeuntis. Forest. l. 29. Obs. 10.
in Nosocomio Delphensi ægrotum decumbentem vidit, qui
crassam induratumque materiam instar cretæ albam parieti-
bus depingendis aptam articulis tumentibus eximebat: Idem
in multis aliis ægrotis moderno die observatur. Talem vero
materiam nec bilis, nec pituita, nec melancholicus succus sup-
peditabit. Puram putam flatulentiam podagricos cruciatu,
conflare posse, ei probatu erit difficillimum, qui tophos dolo-
risque

risque diuturnitatem animo perpendet. Hi scrupuli *Ambros. Paræum* commoverunt, ut *l. de Arthrit. c. 2. & 3.* Podagram pesti, lui venereæ, aliisque morbis occultarum qualitatnm accensèret. Verùm non opus est ad commune illud ignorantie asylum confugere, ubi evidentiores rationes suppetunt. *Caroli Pisonis* sententia quâ colluviei serosæ culpam tribuit, esset ferenda, modò eam non planè aquosam esse existimaret. *Paracelsus l. de morbis tartareis* ad tartarum culpam defert. Huic sententiæ subscribit *Quercetanus consil. 1. de Arthrit. & Calc.* p. 279. & seqq. ubi elegantissimè tartari generationem in corpore nostro describit. *Sennertus* Chimicorum sententiam non omninò à veritate abluere videns humorem serosum quidem pro causa agnoscit: sed, eum falsum, acrem, & tartareum simul dicit; cui & nos in datâ definitione calculum addimus. Hæc excrementa tartarea, & salina quum in primâ & secundâ coctione vel ob imbecillitatem viscerum, vel ob errorem externum non rectè fuerint segregata, & per communes vias exturbata, tandem in partibus sentientibus circa articulos hæc excitant turbas doloremque satis acerbum; quod efficiunt partim pungendo lancinando, adeoque continuum solvendo. Solutionem continui, ut omnium dolorum, ita & in primis podagrici cruciatûs, causam statuimus; nec obstat, quod non in omni solutione continui dolor adsit, ut in nervo dissecto, vel vulnere: distinguendum enim censemus inter solutionem continui, & ipsam solutam unitatem. *Solutio continui* fit dum pars secatur, pungitur, distenditur, uritur, vel ab aliis causis proficiscitur; in quem numerum etiam pertinet dolor podagricus. *Soluta unitas* verò est, ubi punctio, ustio, sectio absoluta est, & membrum aliquod, quod antea unum erat, divisum. Et hoc firmiter probatur auctoritate *Hippocr.* dum inquit: *quorum natura corrumpitur, dolore afficiuntur, non quorum mutata & corrupta est.* Sed hæc obiter.

X. Cæterùm, quum in omni fluxione perpendenda sint, non solùm (1.) *materia influens*: sed etiam (2.) terminus à quo s. *pars mandans*; & (3.) *via* sive per quæ loca (4.) *terminus ad quem*; breviter hæc seorsim sunt perstringenda. De materia

teria

teria quidem, seu quid influat, haecenus fuit dictum: restat itaque ut de cæteris quædam addamus.

XI. PARS MANDANS, seu locus, unde fiat fluxus, venit delineandus. Non audiendi sunt *Fernelius*, & *Platerus* ad caput missionis culpam devolventes. *Quercetanus* hujus culpæ notam & capiti & jecori inurere satagit. A toto autem defluxionem fieri restatur *Averroës* 3. collect. dum se ex febris acutâ in podagram lapsum affirmat. Coctiones publicæ præ cæteris justam merentur accusationem, excrementa tartarea, aliaque ἀνεπιτήδια, ut *Hippocrates* loquitur, non ritè separantes. Etenim terra & aqua, quibus plantæ & his deinde bruta, & homines nutriuntur, variis salium generibus & impuritatibus excrementitiis, partim quidem terrestribus crassioribus, partim etiam spiritualibus scatent, ut multis modis notum. Non desunt aquæ, quæ licet sint aspectu limpidissimæ, tamen facili negotio in tophos & lapides abeunt. Terram aliam invenies nitrosam, aliam limosam, argillosam, variis lapidum & mineralium salibus abundantem, quæ omnia mixtim plantis & fructibus communicantur, quemadmodum hoc analysis chimica ad oculum demonstrare potest: salia enim & olea, quæ arte è plantis extrahuntur, non novâ generatione per ignem fieri, sed actu inesse, vel infans in Chimiâ ostendet. Tartarum vini, quod in doliis spontè adhæret, parili negotio cum è quibusdam plantis tum è multis fructibus sine omni ignis adminiculo potest educi. Sed hæc & alia recrementa salina in primâ, ventriculi & intestinorum concoctione debebant separari, quod etiam fit, modò dictæ partes omni careant vitio: Si verò vel naturalis in eis est imbecillitas, vel error in diætâ committitur, quod plerumque commestationibus viniq̄ue ingurgitationibus inordinatis & immodicis fieri solet; non mirum, chylum impurum tartareo & salino recremento imprægnatum, humorumq̄ue crudorum proventum generari. Cum porrò erratum primæ coctionis, non corrigatur in secundâ, multominùs in tertiâ, facile liquet, quantum momenti primum hoc vitium in excludendis doloribus podagricis habeat. Symbolum suum addere videntur

B

intem-

intemperies hepatis & lienis calida, quæ tartaræa excrementa in primâ coctione suppeditata exaltant, venis majoribus communicant, adeoq; promptè in corporis pernitiem conspirant. Mirabilis est salium in microcosmo mutatio, quod cum sal urinæ, sanguinis, aliorumque humorum & excrementorum patefaciunt. Hæc salia interdum adeò exaltantur continuâ sanguinis circulatione & motu per viscera calidiora, ut quàm proximè ad spirituum naturam accedere videantur. Non desunt enim podagrîci, qui ante accessum paroxysmi podagrîci, humores tam corrosivos, ac acres vomitu rejiciunt, ut pelves & pavimenta instar aquæ fortis cujusdam rodant & colore suo tingant. Dn. D. *Döringius* vidit Licentiatum Juris, cui tam acres urinæ emittebantur, quæ etiam linteamina ceu spiritus vitrioli corroderent. Hæc ergò salia exaltata & mixta cum tartareis recrementis si nec in primâ coctione separentur, nec deinde per urinam vel etiam sudores expurgentur, remanent in sanguine, & non solùm ad hunc affectum, verùm etiam ad graviôres alios materiam offerre queunt. In fæminis legitima mensium scaturigò deficiens, hoc quicquid est vitii causari potest; teste *Hippoc. 6. Aph. 29.* quod etiam de hæmorrhoidibus præter consuetudinem suppressis, judicandum.

XII. VIA PER QUAM serum salinum & tartareum ad pedum articulos migret. *Fernelio* sunt partes subcutaneæ à capite descendentes. Subscribit huic sententiæ *Felix Platerus*, qui intra calvariæ quoque per nervorum vias & spinalem medullam alluvionem hanc fieri posse, existimat. *Eustachius Rudius* extremam spinalis medullæ superficiem pro itinere huic humori constituit. Non potest autem, quin ab horum effatis divortium faciamus, rationibus sat prægnantibus, quas ad conflictum publicum reservamus, commoti. Ad cæcos, & dubios istos ductus nobis confugiendum non est, patentes arteriarum canales antè oculos ponentibus; quæ quum secundum verissimam Neotericorum sententiam, nutrimentum omnibus partibus advehant, excrementitios succos, morborum materiam quoque adducere queunt. Per venas quidem nutrimentum partibus advehi, & per arterias spiritum vitalem, hætenus

tenus communis fuit fama; Verum quod per arterias solum, ut fuit dictum, hoc fiat, & per venas sanguis iterum ad fontem caloris, cor, revehatur, plausibilibus argumentis primus demonstravit *Harvejus*; cuius vestigiis jam multi insistant, ii que in re medicâ Viri ingeniosissimi. *Primerosius, Parisanus, Plempius* & alii, quæ in contrarium afferunt, robore suo destitui videntur.

XIII. TERMINUS AD QUEM, seu pars recipiens sunt *pedum articuli*. Per arterias ut ex antea allatis patet, materia peccans sanguini arterioso quidem adhuc conjuncta advehitur, qui partim in partium nutrimentum cedit; partim à venis statim assumitur, & ad cavam & demum ad cor reducit. Si itaque sanguis pro nutritione allatus sit impurus, & ad agglutinationem ineptus, lancinat partes membranofas & dolorem cum tumore quodam excitat. Articulorum imbecillitas vel hæreditariâ dispositione, vel nimia equitatione, Venere, aliisque injuriis introducta, omnem culpam effugere nequit, sola tamen non sufficit, monente *Sennerto*. Non prætereundum, quod Astrologi de astrali influxu in medium afferunt, Martem & Saturnum in Piscibus, qui pedibus dominare creduntur, inprimis in sexta & octava domo accusantes; monente hoc *Excellentissimo Dn. Löselio, Regiomontano, Prof. & Præceptore olim meo honorando in tract. de Podag.* id, quod cum suo tum aliorum exemplo corroborat. *Platerus* peculiaris arthritidis mentionem facit, quæ excitetur non à materia aliunde affluente; sed ab excremento circa regionem articulorum ex sanguine congesto. *Helmontius l. de catarrhi deliramentis* idem in pectoris catarrhis statuere videtur. Verum quod revera ab affluxu ad articulos hoc malum proveniat, venulæ tumentes in principio paroxysmi ostendunt. Quare autem hi humores in articulis, non similiter in aliis partibus recipiantur, eleganter *Quercetanus Cons. 1. de arthrit. & calc. p. 29.* explicat: *Natura cujusvis partis, ait, gaudet suo simili: partes carnosæ portione sanguinis magis liquidioris & mercuriali vescuntur: adiposæ & medullosæ eâ portione sanguinis delectantur, quæ magis sunt oleagenosæ s. sulphureæ. At, quum articulorum partes suapte naturâ glutinosæ*

& mucilaginosæ sint, glutinosum etiam per consequens salsuginosum & tartareum poscunt. Quæ partes in quibusdam naturis, quum vel ob imbecillitatem vel ob dispositionem innatam s. hereditariam, vel ob similem aliam causam crudam & jam indigestam, tartaream illam materiam, propriâ & particulari digestionem digerere aut expellere non possint: fit ut illa materia de natura salsa & viscida coaguletur, & articularum ligamenta, partesq; alias sensiles offerciat, atq; tandem excruciet.

XIV. CAUSÆ REMOTÆ & antecedentes, tam internæ quàm externæ ex dictis facilè inveniuntur, quas in tres classes non incongruè dividimus, quarum (1.) sunt, quæ ad tartari generationem faciunt illumque in corpore cumulant: (2.) quæ collectum ad motum & influxum præternaturalem, commovent; & (3.) quæ articulos debilitant illosque ad ferum recipiendum aptos reddunt.

XV. Omnes verò hæ causæ potissimùm ex rebus non naturalibus desumuntur; ut sunt aër, cibus & potus, motus & quies, somnus & vigiliæ, animi pathemata, excreta & retenta, AEREM corpora nostra impensè immutare posse, docet Gal. 2. de tuend. val. c. 15. de diff. febr. 4. in arte parv. c. 85. Hinc etiam in hoc affectu vel nimis calidior & siccior, vel frigidior & humidior, non levem occasionem præbere corporaque nostra, ad hunc affectum disponere potest, cum secundum regiones, tum secundum tempestates anni que tempora. Ita Cariæ & Alexandria incolæ plerique sunt arthritici, teste Celio Aureliano. Idem de Constantinopolitanis affirmat Mercurialis l. 1. var. lect. Siccam aëris constitutionem ad podagram producendam pronam indicavit Hippocrates 3. Aph. 16. Idem vere & autumnometuendum esse, patet ex 3. Aph. 20. & 6. Aph. 55. Solstitia & Æquinoctia, quæ teste Aristotele, sunt temporum mutationes maximæ, notabiliter humores in corporibus movent, tartareamq; materiam facilè ad articulos præcipitant. CIBUS & POTUS quidnam in podagrâ inducendâ valeant, quotidiana testatur experientia. E cibus verò potissimùm materiam præbent carnes sale maceratae & fumo induratae; imò omnes concoctu difficiles & mali succi, qui que serosum suppeditant humorem,
ut car-

ut carnes anserum, anatum, leporum, cygnorum, gruorum &c. Huic accedit, si cibi varii, intempestivò tempore ac immoderatâ copiâ assumantur. *Vinum* copiosè materiam peccantem atque tartaream præbet, & nihil ferè invenitur quod plus eo oblit, inprimis si jejuno stomacho, mox à balneo, aut Venere hauriatur: tum enim citissimè ad articulos provenire potest illosque debilitare. Idem præstant *Motus* nimius, & vigiliæ intempestivæ; vias enim aperiunt, humores exagitant, calorem nativum dissipant, unde *βραδυπεψία & ἀπεψία* teste *Hippocr. de viét. accur. part. 56.* caussantur. Ex *Quiete* verò & *Otio* nimio dum calor non excitatur succi quoque vitiosi plurimi congeruntur. *Somnus* immoderatus præsertim meridianus, aut statim à cibo præter consuetudinem institutus, idem decubitus supinus, teste *Avicenna l. 1. Fen. 3. dr. 2. c. 8.* fluxione tentatis non leves ferunt calamitates. *Evacuaciones*, & *excretiones* consuetæ sive naturales, sive artificiales intermissæ, maximè nocent, ut vomitus, purgatio, phlebotomia, hæmorrhagianarium, hæmorrhoidum, uteri &c. Hinc *Hippocrat. 6. Aph. 28.* dicit: *mulieres non laborare podagrâ nisi defecerint menstrua.* Quamvis modernò tempore hic Aphorismus non semper veritati respondeat: siquidem plures offendes fœminas podagricas, etiam si ipsis menses fluant. Atq; hæc fuit causa cur *Seneca* in quâdam epistolâ in eas invehatur, quod per luxum *Hippocratem* mendacem fecerint. *Wolff. Gabelcoverus cent. 4. curat.* observavit podagram in pistore quodam Calvensi ab intermissâ ad aliquod tempus venæ sectione ortam. Sæpè etiam ii, in podagram incidere solent, quibus antiqua tibiæ ulcera aut fistulæ ani consolidantur, & aliarum partium fluxiones supprimuntur. Sudores spontè interdum nocturnò tempore prorumpentes, si supprimantur, certissimè hoc dabunt infortunium. Quod idem ab urinæ suppressione metuendum. *Venus* *Baccho* nupta certissimè erit podagræ mater. Hinc antiqui versus:

Λυσιμελῆς Βάκχος, καὶ λυσιμελῆς Ἀφροδίτης,

Γενῶνται θυγατρὲς λυσιμελῆς ποδάγρας.

B 3

E fol

Esolvilumba Venere, solvilumboꝝ

Baccho creata est solvilumba Podagra.

Animi pathemata, inprimis autem iram magni momenti hinc esse tam clarum quam quod clarissimum: hæc certè humores & spiritus à toto corpore ita exagitant, ut levi negotiò ad articulos antea debiles præcipitari queant. Hinc *Paulus l. 3. c. 76.* testatur, quod animi affectus non solum sopitam excitare podagram possint: sed etiam quum antea non esset, generare. Præterea quædam, quæ non necessario nobis obveniunt & ideo facile caveri possunt ad harum causarum censum pertinent, ut sunt ictus, percussio, contusio, calceamenta nimis stricta & angusta, pedum humectatio, & infinita alia.

XVI. DIFFERENTIÆ facile ex definitione patent illi, qui particulas ejus, uti fas est, probè examinaverit. Desumimus autem illas I. à genere dolore scilicet & quidem secundum magis & minus, ita ut alia podagra sit vehementior, alia remissior, quando non diu manet ibidemque figitur. *Avicenna 2. 1. dr. 1. c. 1.* alia diuturnior alia brevior (2.) secundum durationem alia est inveterata, alia brevis s. recens. II. à subjecto, alia est universalis totius nimirum pedis, alia particularis vel tantum in digitis sive omnibus, sive pollice solo; vel in metapedio, vel in tharso s. pedio, quas supra citatus *Doct. Löselius* dactylagram, metapediagram, & pediagram non inconvenienter nominat. III. à causis, est alia hæreditaria ex nativâ articulorum imbecillitate, vel ascititia, quæ post generationem nobis accersitur, de quibus omnibus supra dictum; alia à tartaro crassiori, alia à subtiliori, unde nonnunquam cum vel sine inflammatione, nonnunquam etiam adsunt tophi & calli, nonnunquam verò horum nihil, quæ omnia ex supra dictis facile constant, ideoque in tam notis non diutiùs commorandum.

XVII. Causis & differentiis perspectis, nunc ad *Semioticam*, quamvis difficillimam, tamen utilissimam Medicinæ partem properandum. SIGNA ab Autoribus τῶν ἀδηλῶν δηλωτικὰ vocantur, quia rem ignotam & occultam patefaciunt, & sunt vel ἀγνωστικὰ, vel προγνωστικὰ, vel ἀμνηστικὰ.

Nos,

Nos, omisâ ultimâ specie, primariâ tantum priora ad nostri affectûs curationem necessaria considerabimus.

XVIII. DIAGNOSTICA præsentem statum seu constitutionem demonstrant; & sunt vel pathognomonica, quæ affectum ipsum indicant, & semper affectum comitantur; (2.) *αιτιογνωμονικά*, quæ causas morbificas demonstrant; & (3.) *διαγνωτικά*, quæ affectum ab aliis distinguunt. Inter pathognomonica meritò primas tenet, dolor & impotentia motûs, quem comitantur tumor in principio levis, in progressu verò notabilior, item ardor, nonnunquam inflammatio pedis: & iste dolor ut plurimum primò pollicem aggreditur, inprimis sinistri pedis; postea metapedium, malleolos, in quibus successu temporis absumptâ humiditate terrestris & tartarea, materia indies indiesque cumulat: unde tandem nodi & tophi generantur. Imminens podagra animadvertitur ex horrore, lassitudine membrorum, rigore sine manifestâ causâ, & torpore articulorum, teste *Cæsar. Aurel.* sensu formicationis ex tactu post somnum, palpitatione quâdam, & similibus. Imminens itaque per aliquot annos ex hisce dictis & levi aliquâ per intervalla in pedibus molestiâ persentisci exindeque facile præcaveri potest. Dum enim articuli adhuc robusti sunt, resistunt materiæ istæ morbificæ, donec successu temporis ab ipsâ vincatur, & ita demum morbus introducatur. II. *Αιτιογνωμονικά* causas designant. Diximus supra hujus mali causam esse serosum, falsum, ac tartareum humorem, quod urinae sabulosæ & nimis tinctæ indicare queunt, quamvis interdum in principio paroxysmi sint planè aqueæ & perspicuæ, materiâ nimirum, tartareâ ad pedes irruente. Interdum tamen plethorâ concurrat, quod è venis turgentibus habituque corporis pleno colligendum. Causarum quoque conjunctarum signa cognovisse, non erit inutile. Sed cum illa aliâs Medico nota esse debeant ex colore, motu, juvantibus, nocentibus &c. his recensendis tempus perdere nolumus. Imbecillitas articulorum an sit nativâ, vel ascititiâ; ex relatione ægri, vel astantium, & ex supra dictis ferè cognoscere possumus. III. sunt signa *διαγνωτικά*, quæ hunc affectum ab aliis dijudicant: & hæc signa

gna

gna Medico maximè necessaria sunt. Sæpè enim agri illum occultant & alias causas prætexunt, de quo eleganter *Lucianus*:

Ridere verò soleo eos, quos torqueo:

Dum proloqui veram mali causam haud volunt;

Aliamq; fictam in promptu habent; quâ se tegunt.

Quilibet enim se decipit mendacio:

Luxatum alicubi, aut graviter allisum pedem

Dum dicitat; veramq; causam supprimit

Quod enim ipse edat, aut latere alios cupit.

Hoc tempus invito arguit eo post tamen.

Distinguitur autem (1.) à dolore venereo. Quamvis uterq; ferè circa articulos crudelitatem suam exerceat; in hocce tamen nostro affectu æqualiter dolores durant, in illo verò circa noctem plerumq; exacerbantur; ita in podagrâ tumor adest, in lue venereâ nullus. (2.) à contusione, luxatione, similibusq; accidentibus, quæ plerumq; agri, in primis incipientes, prætexunt, à Medico tamen facillè dignoscuntur. (3.) ab erisypelate: podagra enim circa articulos; erisypelas verò circa musculosas & carnosas partes residet. Secundò in podagra est dolor vehementior; in erisypelate mitior: tertio in erisypelate vix tumor; in podagrâ contra plerumq; conspicitur.

XIX. PROGNOSTICA itidem triplicia sunt: (1.) morbi eventum indicant, an sit lethalis, nec ne; (2.) tempus eventus & durationem: & (3.) modum eventus monstrant.

I. Quoad eventum morbi. Quamvis hic morbus per se non sit lethalis, nisi alia accidentia, uti febris, inflammatio, vigilia, ciborum aversatio &c. teste *Hippocr. l. de Affect. adveniant*: imò sæpissimè longævam vitam indicat, quia materia vitiosa ad ignobiliores partes protruditur; tamen difficillimè curatur, quod testatur *Galen. 6. de valet. tuend. c. 7.* quando adeo eam diuturnam esse affirmat, ut homines ad mortem usq; commitetur; quod etiam isti Syri, apud *Lucian.* agnoscunt, quando inquirunt:

Ἰδὲ κέρριται: καὶ χαλᾶ φλογμὸν πόναι.

Οἰμοί, παπαίγε: τείρομαι, δίολλυμαι:

Ἄπαν πέπαρμαι γῆον ἀσκόπω κακῶ.

Ecce

Ecce inunctum est: sed non laxat flammam dolorum

Heu mihi, papæ: excrucior dispereo:

Omnia transfixus sum membra cæco malo.

Quæ verò curabilis sit, & quæ agrè curabilis, patet ex Hippocr. l. 2. prædict. Si enim juvenis, ait, adhuc ager sit, & obtemperet Medico prudenti, albumq; habeat lubricam, curabilis est; contrà verò quicumq; senes sunt, aut circa articulos callos tophaceos concretos habent, aut laboriosam vitam degunt, siccam habentes album, hi omnes (ut sentio) humanâ arte sani fieri nequeunt; Hinc Avicenna 22. tert. tr. 2. c. 5. ait: in principio curationem doloris juncturarum curari posse; at si confirmetur dolores, & consenscant, præsertim illos, qui generati sunt ex humoribus diversis non curari. Vide etiam Paulum l. 3. c. 78. Quod idem de podagrâ hæreditariâ judicandum: scripsit enim Arnoldus de Villanova parab. med. c. 19. aph. 8. hæreditaria passiones inextirpabilis sunt radicis, & sufficit ne pullulent in deterius convenienti regimine perhibere. Aretæus lib. 2. diut. curab. c. 12. dicit: podagram si multis annis inveteraverit, & à majorib9 per successionem descenderit, ægotum ad mortem comitare. Item: aliquos à podagrâ liberatos vitam laxiorem degentes, incontinentes, ac licentiosos in hydropem incurrere, quosdam in asthma. Atq; hanc successionem immedicabilem esse & inevitabilem. II. Quoad tempus eventûs & durationem, dicit Hippocr. l. 6. aph. 49. quibuscunq; morbis podagrici sunt, iis sedatâ inflammatione intra quadragesimum diem finiuntur. Galen. in Comment. addit, si modò Medicus in curatione nil deliquerit & agri sint obediētes; sed hæcce de longissimo termino dicta sunt. In specie verò tempus s. duratio desumi potest, (1.) ab ipso ægrotò: si enim adhuc robustus sit ejusq; natura talis, facile etiam vincet morbum: contrà verò si debilis sit, imbecillesq; habeat articulos; facile à morbo vincetur, diutiùsq; cū hoc malo conflictabitur. (2.) à materiâ peccante: Si enim materia sit copiosior, longiùs perdurare potest; contrà verò si tenuis ac in minori quantitate, etiam paroxysmi citiùs finiuntur. (3.) à tempore anni: Vere & æstate breviores sunt; hyeme verò & autumnò longiores. III. Quoad modum eventûs. Morbus terminatur vel per resolutionem,

C

tionem,

tionem, vel per dissipationem, vel per indurationem, raro per maturationem: materia enim hæc ad maturandum inepta est. Priores modi optimi sunt, si nimirum materia resolvatur & dissipetur; contra vero induratio pessima est; tum temporis enim fiunt nodi & podagra nodosa, de quâ Poëta:

Nescit nodosam Medicus curare Podagram.

XX. Hactenus de naturâ, causis, differentiis, & signis Podagræ; restat, ut videamus, quomodo ejus vis salutaris artis ope, quantum possibile, infringi, vel, quod & facilius & tutius, anteverti queat: siquidem hic

Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes.

XXI. PRÆSERVATIONIS cardo, ut de eâ initium faciamus, in hisce tribus potissimum vertitur. (1.) ne tartarea materia in corpore nostro generetur ac cumuletur: (2.) ut materia in venis & sanguine adhuc restagnans, priusquam ad pedum articulos feratur, convenientibus remediis educatur: (3.) ne articuli externis injuriis, vel ullô aliô modo labefactentur, sed in nativo vigore & robore conserventur. Quæ omnia ut legitimè fiant, auxilia è communissimis fontibus DIÆTA, PHARMACIA, & CHIRURGIA haurienda, in tempore sunt observanda & depromenda.

XXII. DIÆTA consistit in legitimâ administratione sex rerum non naturalium, uti vocantur, & sunt: aer, cibus & potus, somnus & vigilia, motus & quies, animi affectus, excreta & retenta.

XXIII. Aërem merito primò ponimus locò; habet enim præ cæteris insignem vim corpora nostra alterandi, materiam vitiosam inducendi, atq; articulos debilitandi; ideoq; Hippoc. ferè toto lib. 3. Aphor. nos monet, ut aëris inclementias contemplemur, & ventorum varias mutationes inquiremus. Sit itaq; aer purus & serenus; impurus enim facilè putrescere potest, Aristot. 4. Meteor. 3. aëri turbido atq; nebuloso corpus non exponendum, nec idem radiis Solaribus aut crepusculi humidis exhalationibus. Domicilium sit in alto positum, & quantum possibile versus Orientem: id enim saluberrimum est, teste Hipp. l. de Aer Aqu. & Loc. Aristot. l. 7. Pol. c. 15. quia

uti

uti explicat. *Varro* tempore æstivo ipsis est umbra, tempore
hyberno Sol. Contrà verò vitentur loca paludosa & impura,
item venti meridionales, ceu promptissimi fluxionum autho-
res. Sit porro aër temperatus, qui si non naturâ talis, arte cor-
rigendus; Si nimis frigidus, muniat se æger vestimentis, uti
pellibus vulpinis aliisq; congruis; Si nimis calidus, tempere-
tur ille vel arenâ frigidâ, & humidâ, vel arboribus virescenti-
bus &c. Quidnam enim temperatus aër ad sanitatem faciat,
testantur incolæ in quibusdam locis Indiæ Occidentalis: ibi
enim inveniuntur homines robustissimi & omnium ferè mor-
borum expertes, uti testatur *Ludovicus Romanus* l. 6. *navig. c. 4.*
& 2. *nav. 9.* item *Columbus* in suo *Itiner. c. 110.* & *Americ. Ve-*
spuc. l. 9. Itin.

XXIV. *Cibi & potûs* rationem ritè institutam genero-
sissimum præservationis remedium esse, attestantur podagrîci,
qui vel paupertate, vel incarceratione ob delicta, vel alio mo-
do à mensis lautioribus fuere remoti, & sic præter spem simul
à tyrannide arthriticâ liberati. Ita etiam *Rogatianus*, Nobilis
quidam Senator Romanus mirum in modum commendatur,
à *Porphyrio*, quòd acerrimus hostis omnis luxûs & intempe-
rantia fuit, & singulari sobrietate suâ tantum effecerit; ut
quum antea arthriticis cruciatibus vehementer ac subinde
torqueretur, mox ita convaluerit, ut manuum pedumq; mu-
nere non secus uteretur ac quivis optimè valens. *Celsus* porro
l. 13. attestatur, multos ab articulari morbo sanatos fuisse, cum
ad simplicem mensam & pauperes cibos descendissent. Unde
primis temporibus, quibus temperatè homines vivebant, hic
morbus non tam frequens fuit, vid. *Gal. 6. Aph. 29.* In assumen-
do autem cibo & quantitas, & qualitas, & motus utendi obser-
vandus: quoad quantitatem svadet *Hippocr.* tutius esse men-
sam relinquere cum appetitu, quàm nimium se implere ac sa-
tiari. Hinc istud:

Abstine & efficies quod medicina nequit.

Cibi omnes in genere sint laudabilioris succi, & facilioris con-
coctionis, uti caro vitulina, vervécina, gallinarum, columba-
rum, caponum, volucrum, perdicum &c. *Martial. 13. Epigr. 65.*

Ponitur Aufoniis avis hæc rarissima mensis,

Hanc in lautorum mandere sæpè soles.

Ova in hocce affectu valdè commendantur; optimè enim nutriunt & minùs gravant & vicem cibi & potùs sustinent; dicit *Plin.* 29, 3. Plura de ovis vid. Doct. *Sylvaticum in suis controuv.* 11. Quidam eligunt longiores præ rotundioribus; hinc *Horat.* 2. *Sat.* 4.

Longa quibus facies ovis erit, illa memento

Ut succi melioris & ut magis alba rotundis

Ponere.

Vitæ enim longorum fortiolem esse videtur, quia ex longioribus galli; ex rotundioribus gallinæ proveniunt, teste *Colum.* Consule etiam *Cal. Rhodiginum l. 27. de Antiq. c. 17. & Erycium Patean. Orat. 20.* Commendamus verò tantum vitellum & rejicimus albumen, quod difficulter concoquitur: est enim humidum & siccum; vitellum verò calidum & humidum. Contra fugient omnes cibos difficilioris concoctionis, sub quorum numero comprehenduntur, omnes carnes fumo induratae, & falsilagine conditæ, ac quæ serosum suppeditant succum: ut carnes taurinæ, porcinae, anserum, anatum, leporum &c. Inter pisces devitetur cyprinus, qui podagram generare, teste *Jul. Alexand.* creditur. Ab angvillis etiam planè abstinendum, quum harum caro nimia humiditate scateat indeq; podagricis noceat. Hinc *Athenai* sententiæ non subscribimus, qui angvillas πάντων ἰατρῶν εὐχλωτέρας esse scribit; Saporem quidem jucundum istæ obtinent, succum tamen præbent glutinosum & copiosum. Ostreis etiam nullus concedendus locus, quia falsum succum, & obstructionibus ansam præbent; excitant etiam Venerem, quæ in hoc affectu potius deprimenda; inde *Seneca Epistol. 108. Ostrea non cibi sed oblectamenta sunt ad edendum saturos cogentia.* Idem de cancris & reliquis, qui difficulter concoquuntur, dictum. In secunda mensâ rejicitur nimius usus fructuum horariorum, à *Paræo* etiam poma arantia & citrea: quod *D. Löselius*, sali armoniaco acido quo abundant adscribit. Leguminum usus etiam omnis vitandus. Si in unâ mensâ peccatum in quantitate cibi commissum; illud in sequenti

quenti parcioꝛe manuꝛ corrigendum. Non incoꝛmodum pot-
ro erit, si coenam semel in septimanã vel parcissimam sumas,
vel planè omittas. Novum cibum non capias, nisi priorem
jam coctum & digestum, perferas: Ciborum varietas unã
vice ingestã summè perniciosa.

XXV. *A potu* ferè majus incoꝛmodum expectandum,
quã à cibo: quum citiùs ad venas penetret, crudumque chy-
lum materiã morbificã genitorem secum rapiat. *Aqua fon-*
tana, lymꝛpida & pura cum victu tenui non facilè luctuosum
hoc sufflamen pedibus tuis injiciet; quod Corydonum exem-
plo satis exploratum. Cavendum autem ab iis, quã spiritu la-
pidescente præditã vel limo argillaq; turbidã sedimentumq;
tophosum destillatione adhibitã relinquant. Ut enim quã-
dam Alpium aquã strumas in potatoribus proferunt: ita et-
iam aliã, podagrã, calculi, vel alterius morbi tartarei feraces
esse queunt. Ita referunt historiã, Pontificem summum *Gre-*
gorium XIV. maximis calculi cruciatibus afflictum fuisse, pro-
pterea quod frigidam semper continuum in potum adhibere
consueverit. Devitandã etiam sunt aquã pluviales, nivosa,
stagnantes & glaciales. Ubi delectus non potest haberi, coctio
correctionis loco adhibenda.

XXVI. Abstinẽtia à *vino* multos à podagricis insulta-
bus liberavit: ita testatur *Petrus* quod multi unius anni ab-
stinẽtia à vino totius vitã securitatem consequuti fuerint.
Paulus Ægineta idem corroborat, quando ait: *multos novi, qui*
à solo vino penitus abstinerunt, & omnes opem in podagã sense-
runt; quod quoque *Solenander* de Hispano quõdam affirmat.
Valescus de Taranta vidit Podagricum, qui quotiescunque pa-
roxysmus immineret, ab omni cibo & potu abstinuit, & ita so-
lã inediã liberatus est, centumque annos vixit. Inprimis au-
tem fugienda vina Hispanica, Austriaca, Moravica, aliaque
quã podagrã fertilitate sunt famosa. Qui verò vel ob ven-
triculi debilitatem, vel ob consuetudinem non planè à vini
usu revocari queunt, vinum rubrum, quod de Alectante vo-
cant, *Solenandri* suasu *sect. 4. Conf. 24.* eligant; vel Neccarinum,
quod etiam calculosis innoxium pernovimus.

men vinum, solum in mensa, sumendum, nunquam inter
prandium & canam, vel mane jejuno adhuc ventriculo. *Spi-*
ritus vini removendus, ejus loco commoda erit Aqua cinamo-
mi cum succo cydoniorum destillata.

XXVII. *Mulsum*, quod ex melle & aqua conficitur, inq;
Poloniâ & Litvaniâ in magnâ copiâ paratur, & communiter
Meda vocatur, ibidemque loco vini in usum trahitur, habens
insignem vim inebriandi merito rejicimus; quum facile in bi-
lem abeat, & intemperiem calidam excitet. Idem de potu è
fructibus horariis confecto judicamus.

XXVIII. *Cerevisia*, licet salubriorem potum suppedi-
tet, non omnis tamen suo caret vitio: unde experientia testa-
tur, quod interdum abstemii, aut qui ob paupertatem vinum
non bibunt; tamen podagrâ laborent, *Sennert. l. de artbr. p. 12.*
quod procul dubio à vitio frumenti vel aquæ, è quibus cerevi-
sia coquitur, provenire potest. Palmam obtinent eæ, quæ al-
vum laxant & urinam movent. Pessimæ, quæ in hypochon-
driis subsistunt, aut vetustate aciditatem contraxerunt. Ubi-
vis itaque locorum eæ eligendæ, quarum virtus quotidiano
usu nobilitata.

XXIX. De potu in genere in hoc affectu notandum,
quod eo modò tantum assumi debeat, quantum pro sedanda
liti satis sit, non verò fluctuationem efficiat, *Sennert. l. de Artb.*
c. 7. multominùs ad ebrietatem.

XXX. *Somnus & vigilia* si modum excefferint, malum,
ait *Hippocr. 2. Aph. 3.* proinde nec hisce peccandum in excessu,
in defectu, in utendi modo. Somnus non instituaturs statim
à cibo sumpto; fugiaturque meridianus, nisi forsan longior
consuetudo aliud suadeat. Vigiliæ non ad multam noctem
protrahendæ, sed fiant quoque in tempore.

XXXI. *Motus & Quies* quoque suis gaudeant legibus.
Ἀσκήσις ὑγιεινὴ, ἀνοσίτη τροφή, ἀόκνη πόνος: Exercitium
sanitatis est non saturari cibo & impigrum esse ad labores, ait Hip-
pocr. 6. Epid. 4. c. 20. Hoc cum in aliis morbis tum maximope-
rè in hoc affectu observandum. *Motus* instituaturs ante cibum
ad sudorem usq; à quo tamen non priùs cibus capiendus quam
calor

calor excitatus ad interiora se iterum receperit. Fiat portò
in loco temperato, non radiis solaribus æstuante, vel brumæ
frigore ingrato. Podagricis equitare alienum est, ait *Celsus*.
Rarò itaque hoc fiat, & nunquam neglectis stapedibus: quum
eâ de causâ dolor ischiadicus apud Scythos credatur Endemi-
us. *Ocii & quietis* peccata semper cum majori periculo conjun-
cta quàm exercitiorum; proinde *Gal. 5. Aph. 28.* non minùs
desidiam quàm crapulam, arthritidis causam ponit. Corro-
borant hoc agricolæ, aliique homines plus laboribus quàm
otio vitam consumentes, quos rarissimè podagrâ affectos
videas.

XXXII. *Animi affectus* sint moderati: ira inprimis re-
frenanda. Longè absint terror, tristitia, melancholia, cæteræq;
animi perturbationes.

XXXIII. *Excreta & retenta* naturæ legibus responde-
ant. Alvus inprimis quotidie suo fungatur officio; quod vel
diatâ vel medicamentis procurandum. Sudores spontanei
nunquam reprimendi, qui interdum motu & frictionibus pro-
fero falso imminuendo provocandi. *Venus* sit moderatissima;
nec audiendus *Gvainerius*, qui meliùs esse putabat per decen-
nium vitam abbreviare, quàm tantæ dulcedinis expertum esse.
Balnea tandem immodica, & inprimis pedum humectationes
frigidâ, calceamenta angustiora & id genus alia omni studio
devitanda.

XXXIV. Alterum instrumentum prophylacticum
constituimus PHARMACIAM, quæ, cum interna tum
externa remedia depromit, præparationi, evacuationi, deriva-
tioniq; causæ materialis partiumq; roborationi inservientia.

XXXV. *Purgatio*, inprimis Vere & Autumno institu-
enda, præmissis quidem lenientibus, clysteribus, aliisque emol-
lientibus & digestivis. In corporibus valde impuris non in-
commodum erit circa novilunium singulis mensibus laxati-
vum conveniens propinare. Nec exinde incommodum ali-
quod metuendum; hoc enim mihi credi velim, plus Spirituum re-
solti doloribus, magis confici vires, artus gravius infirmari, deniq;
totius corporis facultate atteri magis ab uno unius paroxysmi in ar-
ticulos

riculos humorum influxu, quàm à septies reiteratis ex tam bene
compertis moderatisq; medicamentis, purgationibus, ait Solenand.
sect. 4. Conf. 24. Alvus itaque clystere vel alio laxante emolli-
enda; deinde humores præparandi & demum purgatio præ-
scribenda. Clysterum vel aliorum emollientium materia,
cùm aliàs fatis sit nota, fusiùs non est addenda. Humores aliàs
præparant Autores oxymelite simplici, melle rosato, sirupo
de Beton. Stæchad. Succo acetos. borrag. &c. *Quercetanus* lau-
dat hydromel sequens.

Rx. Hydrom. ℥vi

Rad. enul. camp.

Filic. acetos. ā ℥ij

Lign. ros. ℥j

Chamed. Chamæp. ā mj

Digerantur 24. hor. leniter, postea coqu. ad consumptionem
tertiæ partis, addendo sub finem decoctionis florum verbasci,
prim. Veris, Calend. ā. pij. colentur per manicam *Hippocr.* aro-
matifentur tantillo cinamomi aut coriandri præparati cum
succo cydoniorum. Dosis in principio ℥ij postea sensim auge-
bis dosin. Possunt addi aliquot gut. Sp. Δ vel Θ . ita enim su-
perfluitates tartareæ meliùs fermentabuntur & ad expulsio-
nem aptiores reddentur. Hoc digestivum singulis diebus su-
mendum, manè 3. & 4. hor. ante prandium, continuando per
aliquot dies vel etiam septimanas. Vel sumas alternis diebus,
uno quidem hoc hydromel, altero pulv. sequ.

Rx. Rad. ari cum vino parat. ℥ij

acor. ℥j

Pulv. fl. beton. ℥℞.

ocul. 69. ℥ij

cinam. ℥j℞.

Sacchari q. s. M. F. pulvis. detur ad scatul. &c.

*S. Digestiv Pulver über den andern Mor-
gen ein halben Löffel voll zu nehmen.*

Demum purgantia specifica sequantur. Variæ autem purgan-
tium formulæ à variis Autoribus traduntur. *Joseph Querceta-
nus* mirum in modum laudat suas pillulas helleborinas, quas
anti-

antipodagricas etiã nominat, tam in præcautione quàm cura-
 tione, quarum præparatio videri potest in *Consil. de Arthr.*
 p. 285. *Mercatus tom. 3. l. 4. c. 18. p. 436.* terebinthinæ usum cum
 rhabarbaro commendat, inprimis ubi corporis prima regio
 impuritatibus abundat. Alii commendant extractum Diaca-
 thol. Mechoac. gialapp. Diatartarum Solutiv. *Quere.* Electua-
 rium Cariocostinum à *Petro Bayro* miris laudibus effertur, cu-
 jus descriptio variis in locis habetur: datur ad ʒʒ. non incon-
 veniens esset, si aliqua grana Aquilæ coelestis ritè præparatæ
 adderentur: hujus autem Elect. usum rejicit *Riverius* in suo
 tract. de *Arthr.* in calidioribus naturis. *Rhasis* suas pilulas ex-
 tollit eâ laude, quòd podagricos in pedes iterum conjicerent,
 & sunt sequentes:

℞. Aloës optim. ʒʒ.	℞. Aloës, Hermod. à ʒʒ.
Rosar. rub. ʒij.	Chamad.
Hermod. alb. à corticib.	Chamap.
exter. mund. ʒʒ.	Stach. arab. à ʒj.
Diagrid. ʒj. Cum aq.	Sem. Hyp. ʒʒ cū thereb. Ven.
ivæ arthet. & melle ros. F. M. P.	F. M. P. quæ, quia minùs pur-
cujus dos. ʒj.	gant, frequentius exhiberi
Prædict. <i>River.</i> has commend.	posse dicit.

Nobil. ac Excell. *Rolfincius Prof. h. Acad. celeberr. Patronus*
meus observanter colendus, seq. laudat:

℞. Essent. Aloës ʒj	℞. Turb. elect. diagr. à ʒʒ.
Extr. Hermod.	Gumm. de peru cum ol. ci-
Mechoac. à gr. iiij.	nam. corr. ʒj.
pulv. ivæ arthet. gr. ij.	Spec. diamarg. frig.
Ole. sabin. salv. à gt. ij.	Diarrhod. abbat. à ʒʒ.
M. F. P. No. vij.	Sacch. cand. albiss. ʒʒ.
Pro delicatioribus seqq. Mor-	Sacch. alb. ʒx.
fulos parat.	F. l. a. Morf. pond. ʒʒ.

Non ultimum locum tenet panchymag. *Crollii* prim. de-
 script. ʒʒ. in vin. malvat. ʒj. dissol. additis nonnullis gutt.
 aq. cinam. Et pulvis arthritic. *Crollii*, vel per se adhibitus vel
 aliis mixtus. ex gr.

D

℞. Pulv.

℞. Pulv. arth. Croll. ʒʒ.

☿ ʒi

Facul. ari. ā gr. vj.

☉ corall. marg.

absinth. ā gr. iiij.

Spir. ☉lis Arc. ☿ ā

gt. iiij.

M. F. P. detur in triplo ad ʒ.
chartas distinctas & signetur:
Kräftige Pulver wider die
Gicht über den andern Mor-
gen zu nehmen.

Non incommodè addi potest
vehiculum aliquod, ut:

℞. Aqu. Iva arthet.

Chamed. Chamep. ā ʒiʒ.

Sir. Spin. Cerv. ʒiʒ.

de cich. c. rhab. ʒʒ.

Spir. ☿gt. jx.

☿ri gt. xv. M. det. &

S. Wasser auff ʒmahl zu
dem ʒ. Pulvern.

Sapè optimo cum successu usus sum pilulis Exper. Med. Doct.
Kneufelii ex Verat. Nig. paratis, ejusdemque pulvere ex acido
tartari tart. vitr. sant. rub. & similibus. Hisce enim serosa sive
salina materia, non tantùm per secessum, sed etiam per urinam
& sudorem depellitur.

XXXVI. Vomitoria non minori commodò adhibentur, in
eorum tamen adhibitione ad naturam & consuetudinè respi-
ciendum esse, monet Hippocr. 4. Aph. 6. & 7. Aph. 6i. in dispositis
enim valdè conducit, teste Alex. Benedict. l. 18. c. 10. non enim
tantùm humores ejicit collectos: sed etiam revellit fluentes.
Mercatus suadet bis aut ter in mense, ubi natura assuescit dolo-
res excitare, vomitum instituere. Huncce meliùs succedere ob-
servârunt quidam, si luna in signo aliquo ruminando, ut Tau-
ro s. Capricornu reperta fuerit, vid. Riverium de artbr. p. 385.
Vomitoria varia parantur, tam ex vegetabilibus quàm minera-
libus; hodiè communissima sunt ex croco metallorum, ex ☉,
☉lo, ut: Aq. Bened. Rulandi, quam habet Brendelius. Sirupus
ejusdem, Aqu. Bened. Quercet. quæ hæc est:

℞. Croc. metall. ver. ʒj.

Aqv. carduib. ℥ij vel ij.

Cinam. ʒʒ. macera per biduum, de-

inde transcola, dosis ʒʒ. Ad præcavendam arthritidem Sole-
wander hoc ceu singulare commendat:

℞. Rad.

Rx. Rad. Beton. ℥ij.

Raph. ℥j.

Sem. atripl. aneth. ā ℥℞.

Aq. ℔ij. ad ℔j. adde oxym. simpl. ℥℞. vel

oxym. scyl. parum. misce, oletur tepidè. Ab aliis commen-
datur decoctum asari & genistæ: non inutiliter etiam coagu-
lum Hartmanni adhibetur. His omnibus anteponit Sal. Ⓞli
Angelus Sala in Ternar. Hermet. illudque laudibus ad coelum
usque attollit; dicit enim: testor Deum & certo cuius promitto
lectori, quod inter medicamenta vomitoria tam simplicia quam
composita &c. nullum observaverim magis universale, magis præ-
ceteris benignum, quam hoc ipsum Sal. Ⓞ, adeo siquidem tutò,
adeo facile operationem perficit suam, ut meritò jure Manna vomit-
orium veniat appellanda. Quomodo verò istud ritè præparan-
dum & præcavendum ne operationem contrariam faciat, do-
cet Excell. Dn. Præses in suâ Disput. de Vomit.

XXXVII. *Sudorifera* porrò non negliganda, inprimis
Vere & Autumno. Eligantur autem temperata & præsertim
quæ specificâ vi in podagrâ proficua. *Gal. in ep. ad Pis.* com-
mendat theriacam, præcipuè si quis adhuc sanus sit. *Aëtius* an-
tidotum suam ex quatuor partibus constantem, gentianâ scil.
baccar. laur. myrrh.â. p. æ. cum aq. cal. laudat. *Oribasius*
aliud habet. *Aëtius* miris præconiis extollit antidotum ex
centaur. min. & hyper. *Medicis* nostri seculi sua non
defunt, de quib. plur. vid *Senn. l. de præserv. arthr. c. 7.* Ita *Ge-*
nuenses Carolo V. Imp. decoctum chamæd. commendabant; &
Solenander Cons. 25. sect. 4. p. 419. & Cons. 1. sect. 5. p. 437. testa-
tur, quosdam cum hoc decoctum sexaginta dies bibissent, pe-
nitùs à podagrâ liberatos fuisse. Compositio decocti talis est:

Rx. Chamæd. dum flor. mj.

Vin. medioc. ℔ij. Coque in duplici vase
per hor. 5. de quâ colat. capiat æger haustum corpore ad sudo-
rem composito. Quomodo autem hoc medicamentum variè
preparari possit vid. *Senn. de arth. c. 7.* Idem *Solen. p. 440.* et-
iam commendat *Marrabii* succum, mense Martio lunâ decre-
scente collecti, & vino albo irrorati expressum ac triduo bibi-

D 2

cum,

tum, dicitque quod hominem per integrum annum à podagrâ
præservet. Proderit etiam decoctum Sarsaparill. lign. sanct.
cum plantis. specif. *Chimici* suas præparaciones extollunt, ut
⊕ diaphor. bezoart. solar. mart. C. C. phil. præpar. ejusdem
⊖ volat. & spir. &c.

XXXVIII. Nonnulli in *Tabaci fumo*, qui jam ferè omni-
um ore exhalat, peculiare præservatorium quærunt; verum an
commodè, erit dispiciendum. Tabacum s. nicotiana autem,
ut de ejus qualitatibus simus certi, non est frigida, ut quidem
Dodonæus putavit; sed calida & sicca in secundolgradu quorun-
dam judicio, ex mente autem *Casalpini* & *Menardis*, in tertio;
id quod tum gustu tum effectu satis superque clarum. Proin-
de quum validè exsiccet, podagricis solùm pituitosis, multisq;
humoribus scatentibus utilis. Virginianum tabacum fumum
rarum, levem, pellucidum citoque evanescentem spargens, suâ
acrimoniâ palatum & linguam minimè vellicans, neque gra-
vitate ad orificium ventriculi tendens est optimum: ideoq;
vel hoc vel simile eligendum. Nequaquam autem à sumpto
cibo, sed jejuno ventriculo ejus usus concedendus, isque mo-
deratus: immoderatus enim quum fauces nimium exsiccet,
plerumque bibaculos reddit, humores nimium exagitat, ner-
vis nocet, articulos debilitat, multaque gravissima mala exci-
tare potest. Biliosi autem podagrici, melancholici, naturâ gra-
ciles & macilenti ab hoc fumo sibi caveant, nisi oleum cami-
no addere velint, temperamentum morbosum ulterius de-
structuri.

XXXIX. Tandem articuli sunt corroborandi, ne tam
facilè humorem influentem recipiant. Varia ad hocce præ-
standum, traduntur ab Autoribus. *Crato* svasit cuidam, ut in-
firmos pedes immergeret vinaceis à torculari adhuc calenti-
bus, & quidem manè per 15. dies; & *Solenand. conf. 21. sect. 4.*
hoc remedium sequenti laude prædicat: *Sed inter optima re-
media & tutissima, quæ partes etiam affectas roborant ac calorem
innatum fovent, hoc ponendum & diligenter singulis annis, cum
amplius fieri nequeat, usurpandum. Videlicet ut tempore vindemiæ
immergantur pedes atq; manus affectæ vinaceis, post expressionem
calen-*

calentibus adhuc, vel musto calido calefactis, manè per dies quindecim. Ac possem nominare virum præstantem, cui hoc medicamentum communicavi, atq; ab eo præclaro sum donatus munere: qui planè incedere non poterat, & isto remedio, beneficio Dei, restitutus est. Quò autem uva sunt maturiores, eò plus adjumenti vinaceorum usus affert. Ad hunc usum idem Solen. sect. 4. Conf. 25. emplastrum diachalciteos sive diapalma impositum commendat, & dicit: se novisse quosdam qui usu hujus emplastri, & purgationibus per intervalla assumptis, quinquennium integrum à doloribus istis liberati fuerint. Thermae sulphureæ & nitrosæ, etiam ad præcautionem laudantur, non solum epotæ [corpore prius purgato] ut reliquias à partibus debilioribus avertant, easq; per alvum & urinam educant: sed etiam in sessione, ut articulos debiles roborent. In nostris locis primum locum tenent Hirschbergenses, quas *Cruo* commendat, quum urinam valde citent; & experientia probat, usu thermarum harum multos fuisse curatos. Contrà verò rejicimus thermas Carolinas; istæ enim sunt calidæ & siccæ ferè in tertio gradu, ideoq; plus damni in hocce affectu quàm commodi afferre possunt. In thermarum defectu, lotiones pedum & fofus parari poterunt, ex decocto herbarum nervos & articulos corroborantium cum modico aluminis, Salis petrae &c. E. g.

Rx. Rad. Ebuli ℥℥.

Herb. Chamed. Chamap.

Salv. Absinth. ā Mj.

Semen Lin. ℥j.

Baccar. Laur. Junip. ā M℥.

Nitr. Alum. Vitr. alb. ā ℥j. Fiat pe-

diluvium sive fomentum: detur ad chartam; & sign. Kräuter zum Fußbade. Vidi magno cum successu podagricos usurpasse fotum ex decocto formicarum; indeq; mirificè articulos corroboratos fuisse animadverti. Post pediluvium commendant inunctiones, præsertim ex oleo omphacino & simil. cum sale torrefacto. *Solenandri* multis in usu est;

Rx. Ol. Omphac. ℥ij.

Mastich. ℥j.

D 3

Ol. tor-

Ol. torref. ʒij.

Bol. Armen. ʒiij.

Sang. Drac. Hippoc.

Thur. Mast. ā ʒiʒ. Terantur singula per

se prius subtilissimè, misceanturq; cum oleis pro unguento
Riverius descriptionem hancce breviorē habet:

Rx. Ol. Myrtin. vel Ros. ʒij.

Olis ʒij. Misc. fi. linimentum. De
inunctionibus verò in hoc affectu, quidnam statuendum sit,
consule *Cratonem* c. 121. p. 652.

XL. CHIRURGIA ad præsertionem quoq; mul-
tùm conferre potest; & quidem primò *venesectione*, quâ teste
Galen. l. de miss. sang. & Celso multi à podagrâ liberati sunt.
Confert autē in Plethorâ verè & autumno; ubi venæ brachio-
rum vel manuum sunt eligendæ. Menses vel hæmorrhoides si
substitère, venas pedum aperiendas curabis. Ubi plethora non
adeò fortis *cucurbitulæ scarificatæ* supra genu, vel etiam in cu-
bitis succenturiatâ operâ sanguinem educere poterunt. Cucur-
bitulæ non scarificatæ in plantis pedum singulis mensibus an-
te novilunium adhibitæ à quibusdam pro arcano prophyla-
ctico commendantur. *Novi virum nobilem ait Sennertus qui so-
lo ferè harum usu podagram præcavet.* Ab intimo quodam ami-
co pro verissimo mihi relatum. *Regem Danie Christianum IV.*
in dicto loco cucurbitulas scarificatas applicuisse, & ita se per
totam vitam ab hoc pedum infortunio præservasse.

XLI. Proximum est, ut etiam aliquid addamus de ipsa
CURATIONE, quæ malum præsens respicit seu sympto-
ma dolorificum, secundum INDICATIONES peragen-
dâ. Suprà diximus, podagram provenire ab influxu humoris
serosi cum tumore, motûs imbecillitate, caloreq; febrili: ideò
omnibus viribus allaborandum, quò influens cohibeatur, de-
latus ad articulos auferatur, & dolor mitigetur. Febris verò al-
terantia & aperiencia, tumor discutientia, si tophi adsint, re-
solventia, & pars affecta corroborantia, & deniq; consolidan-
tia indicant.

XLII. *Venesectio* itaq; statim, si sanguis abundet, insti-
tuenda;

tuenda; præmissò clystere sive suppositoriò: hæc enim ratione humor influens & ad articulos tendens imminuitur, vis ejus infringitur, & à parte affecta, avocatur, febrisq; quæ ab ebullitione & effervescentia sanguinis provenit, mitigatur: si verò sanguis copiâ non peccet, vel ægrotus in summo senio sit constitutus, non opus hæc venæsectione. Ista verò è directo affectæ partis instituenda est, ut revulsio fiat; nimirum si dexter pes laboret, vena dextri brachii secunda, idem de sinistro judicandum. Postea si dolor genu vel talum occupet cum fructu etiam vena circa digitos pedum aperiri potest. Plantas pedum etiam eum in finem optimò cum successu sacrificatas vidi, ut antea de præservatione dictum. Hæmorrhoides consvetæ etiâ commodè referantur: mirificè enim non tantùm à liene sed etiam toto corpore vitiosos humores educunt. Si verò indicantia venæsectionis tam urgentia non adsint, meritò statim ad vomitoria deproperandum.

XLIII. VOMITUM, præsertim si materia adhuc in motu sit, statim institutum mirificè prodesse, experientia docet: tum enim materia ad ventriculum adducitur & ab articulis revellitur: quod etiam *Mercatus* observavit dum *l. 4. c. ult.* dicit, nullo auxiliò alio commodiùs & fluens humor revelli & fluxurus evacuari posse. Notum enim est, quòd vomitus non tantùm eos vitiosos humores ejiciat, qui in tunicis ventriculi resident: sed evacuet etiam mesenterium, pancreas, jecur, lienem, & revellat ab intestinis, renibus, partibus genitalibus, utero, lumbis & pedibus, monente *Excell. Dn Præsidi in Disput. suâ de Vomit. th. 35. & seqq.* Vomitoria ex suprâ dictis peti possunt, ubi ab *Angelo Salâ* Sal vitrioli, præ cæteris commendatur: sumi autem potest cum modico sacchari & cerevisiâ butyratâ; ita enim operatio meliùs succedet dosi à ℥i ad ʒss. Ab aliis in hoc affectu laudatur arcanum asari; nam asarum præter vim emeticam appropriatum esse in articularibus morbis, experientiæ suffragio munit, *Guilhel. Rondel. meth. cur. morb. c. 82.* vel sequens parari potest:

℞. *Croc. metall. gr. viij.*

Vin. optim. ʒij.

Stent per noctem manè
cola

cola per chartā empyr. colaturæ adde *Sirup. de spin. cervin. ℥ij.*
Aqu. cinn. ℥ij. Misc. detur, &

Sign. Brechwassrichen auff einmal. Si verò corpus non dispositum sit, omisso isto ad purgantia progressum faciamus.

XLIV. De PURGATIONE in hoc affectu magna est controversia inter Medicos. Alii enim putant neque in principio, neque in statu: sed tantum in declinatione purgandum esse: inter quos est *Mercat. l. c. p. 441.* ubi dicit: se expertum fuisse, tutissimum esse tardiùs uti purgante pharmacò. Alii purgantia quidem adhibenda esse affirmant, sed nequaquam validiora; inter quos est *Platerus tom. II. prax. l. 3. c. 17.* quum ex fortioribus humores magis commoveantur, & tum affatim ad articulos ruant, sicque vehementiores & diuturniores dolores excitentur. Aliis contra, & quidem rectiùs, fortiora placeant, quum iis humores ad articulos ruentes commodiùs revocentur, doloresque mitiores & breviores evadant, quod suo ipsius exemplo *Petr. Bayerus* confirmat, qui ait: *se fuisse adeò impotentem, ut solam linguam movere posset, & à quatuor hominibus in sellam locandus fuerit; sumptò autem suo electuariò Caryo-Coslinò, & postquam venter quinquies solutus esset à doloribus ita fuisse allevatum, ut eòdem die liberè iterum per Musèum ambulare posset.* Nil itaq; dicunt, qui humores magis ad articulos propelli clamant: id potiùs de levioribus & mitioribus dicendum, illa enim plus humores movent quàm promovent. Si verò humorum decubitus ad articulos metuendus; suasu *Solenandri, Præctici insignis*, artus supra genua obvolvantur fasciâ, aceto rosaceo imbutâ vel applicetur unguentum è bolo, balauft. tormentill. vel bistort. rosis, cum albumine ovi & aceto; quod tam diu retinendum, quamdiu operationes medicamenti vigent. Vid. etiam *River. de arthr. p. 370. Septalius l. 7. Animadv. n. 177.* non multum à priorum sententiâ recedit: dicit enim, se longâ, nimirum 40. annorum, experientiâ expertum fuisse, purgationes aliquibus optimè cessisse, aliis verò pessimè; causamque rejicit in materiam fluentem recipientis; de quibus ipse *l. d.* consuli potest, ut & *Sennert. l. de Arthr. qu. II.* ubi *Septalium* refutat. Rectè tamen concludit quod experientiâ hâc in parte
sem-

semper sit consulenda; Si enim, dicit, semel aut iterum tentata purgatione & ingravescant dolores & diutius perdurent, ab illa in posterum abstinere oportebit; sin autem melius se habuerit, aut saltem brevior factus sit morbus, omnino intrepidè corpus erit purgandum. Statim autem in principio durante adhuc fluxu, purgantia adhibenda, nec prius laxantibus vel digestivis tempus consumendum. Nam quum hi humores sint tenues & turgentium naturam referant, & natura ipsa eos ut sibi molestos à bono sanguine separare conetur, ac metuendum sit, ne confertim ad pedes ruant, dolores aliaq; symptomata excitent; statim purgatio instituenda. Qui ad vomitum proclives, possent purgans simul vomitum movens, sumere. Purgantia ipsa quod attinet, non ultimum locum inter simplicia tenent Hermodact. quamvis à Paulo aliisq; rejiciantur, quod stomacho facessant negotium: (faciunt autem id ferè omnia purgantia,) ideoq; corrigendæ sunt, vel cymino, vel simili alio congruente; qui verò optimi sint atq; eligendi, videndum apud Platerum tom. II. prax. l. 3. c. 16. Radix quoq; mechoacannæ gialappæ, turbit. gummosum & electum, agaricus trochiscatus, fol. senæ, rhabbarum, aloës ros. hîc locum habent. Huc etiam pertinent, quæ ex ♀ ro parantur; ut Cremor ♀ ri ♀ rus ♂ tus, Tinct. ♀ & alia, quæ quamvis non insignem vim purgandi habeant, habent tamen magnam vim incidendi: commodissimè itaq; iisdem admisceri possunt, ut eò citiùs & feliciùs operationem suam perficiant, ex. gr.

℞. Pulv. rad. gial. gr. xiiij.

Mechoac.

Turbit. gumm. & El. ā gr. viij.

Crem. ♀ ri gr. xv.

♀ ri ♂ ti. ♂. ♀. ā gr. iiij.

Res. Scamm. gr. iij.

Spir. ♂. ex ♂ gr. iiij. Mis. f. p. detur ad chartam & Sign. Purgier. Pulver auff einmahl. Hæc & similia parari possunt pro diversitate humoris sero admixti; vel loco simplicium sumi possunt extracta, ut extractum Rhabarb. mechoac. agar. aliaq; Non prætereundum in hoc affectu extra-

E

ctum

Etum hellebore, quod ferè palmam tenet, in pillulas sc. redactum; ex. gr.

Rx. Extract. helleb. nigr. ℥ss.

Pulv. rad. gialap. gr. vj.

Facul. ari. ℥i. Oti ã gr. iij.

Ref. Scam. gial. ã gr. j. M. f. cum sirupo chamædr. pilulæ No. XI. deurentur, & Sign. kräftige Pillen in den Podagel auff einmahl.

Ex compositis sunt Sirup. de Cichor. cum rhab. & si hepatis sit calidius, rosar. solutiv. elect. ros. Mes. aliaq; Solenander valdè commendat Sirup. de Spin. Cerv. *Conf. 20. sect. 1. p. 81.* qui serosum humorem cum bilioso educat. Pilulæ antitart. *Quercetani*, de ammon. hellebor. hermod. agar. &c. Item pulvis diaturb. cum rhabarb. arthrit. *Croll. &c.* Ex quibus varia composita præscribi possunt, ex. gr.

Rx. Pil. antitart. Querc. gr. xv.

Extr. helleb. nig. gr. v.

℥ri. O.

Facul. ari.

Ref. scam. ã gr. iij.

Ol. macis gt. j.

Cum misturâ simplici vel tincturâ tartari fiant. Pillul. No. xliij. deurentur & signentur.

Mögliche Sichte Pillen auff einmahl.

Si verò materia jam jam in pede hæreat viresq; sint prostrata, tutius erit, eam per Epicrasin educere, ubi simul & viscera roboranda. Parari itaq; potest vel decoctum aliquod ex herbis appropriatis, & enarratis medicamentis purgantibus, vel nodulus ex cerevisiâ, vel pro delicatioribus elaretum præscribi potest hunc in modum.

Rx. Herb. chamæd.

Iv. arthet. ã. M℞.

Cort. capp.

Rad. fenicul.

polyp. q.

Hermod. ã ℥ss.

Flor. Cent. min. abs. ã p. iij.

Fol. sen. s. stip. ℥ss.

Rha-

Rhabarb. optim.

agaric. trochisc.

Mechoac.

Gial. resinof. & prius probè

Spiritu Vini inror. ā. ℥℞.

♀ prepar. ℥vj.

Paß. Corint. ℥ij.

Sem. anis.

Fenicul.

Cymin.

Zedoari.

Galang.

Macis.

Cinam. ā ℥℞.

Incisa ac contusa infundantur Vino Rhenano optimo, stent
per 24. hor. postea filtr. & si opus iterum filtr. adde sachar.
quant. sat. fiat Claretum,

Sign. Eröffnungs Wein des Morgens ein Trüncklein davon
zu nehmen.

XLV. Peractâ sufficiente purgatione ad SUDORUM
provocationem accedendum. A *Sennerto* commendatur cor-
nu cerv. vel crudum, vel sine ustione præparatum, quod idem
à *Cratone* in *Consult.* 246. miris laudibus extollitur. *Franc. Joël.*
l. 40. Prax. sect. 2. decoctum de chinâ & falsaparillâ deprædi-
cat, dicitq; se salubrius remedium in omnibus arthritidis spe-
ciebus non invenisse; cui etiam adstipulatur *Senn. l. de arthr.*
Horst. l. 3. observ. p. 3. Ab aliis verò rejicitur; scribitq; *Monar-*
des [quem allegat *Antonius Schneberg.*] se nôsse aliquos qui eò
in veris podagricis doloribus usi fuerint, & exinde vel pejus,
vel non melius habuerint. *Hercules Saxonia* panem recentem
è furno extractum toti corpori applicat, unde copiosissima su-
doris provocatio, & insignis dolorum diminutio fuit sequuta.
Chimicis sunt in usu Spir. Cor. Cerv. Sal. CC. volat. mist. simpl.
♁ diaph. ex regulo ♂ alb. & purum, extr. falsapar. lign. sanct. saf-
saf. ex quibus variæ compositiones parari possunt ex. gr. pi-
lula:

℞. Ext. fals. parill. Sassafr.

Lign. sanct. ♂ diaphoret.

C. C. sin. ign. ust. ā ℥℞.

M. fia. cum mist. simpl. pilul.

ex ℥j. No. vij. insperg. C. C. ust.

Sign. Schweispillen davon 7. auff einmahl zu
nehmen.

E 2

℞. Si-

R̄. Sirup. chamed.

Fumar. ā ʒiij.

Mis. S. Saffr zum Schweis
Pillen auff 3 mahl.

Vel sequ. pulvis,

R̄. C. C. phil. prepar. gr. xvj.

ʒri ⊕.

Mag. oculor. canē.

ʒ diaphor. ex reg. ā gr. vj.

XLVI. Quæ ad articulos tendunt, sæpè à naturâ per vias
urinarias evacuari, notavit Hippocr. 4. Aph. 74. Proinde nec hîc
Diuretica omittenda. Decoctum radicis bardanæ s. lappæ ma-
joris cum cerevisiâ, Foresti testimonio nobilitatum habemus,
quo potio arthriticum à cæteris Medicis pro desperato relictum
urinam instar lactis albam copiosè reddidisse, & à dōloribus li-
beratum fuisse, ait. Idem præstare poterunt ⊖ onon. ⊖ vol.
succ. ol. tereb. magist. ocul. 69. liquor post confect. ʒ. ⊕ li-
residuus. Sem. lapp. major. ut & vesiculæ seu animæ harengi
torrefactæ.

XLVII. Alterantia & roborantia diebus intermissis non
sunt negligenda; quibus ad febrilem effervescentiam visce-
rumque intemperiem respiciendum. Si itaque febris & sitis
nimis urgeat, præscribi potest vel emulsio vel julep. &c. Ex. gr.

R̄. Aq. acetos.

cichor. ā ʒv.

cinam. ʒj.

Sir. acet. citr. ʒij.

Tinct. rosar. cum spir.

Vitr. prep. q. s. ad gratum

saporem M. detur &

S. Stärkender Rühltrancf.

Vel seq. emulsio.

R̄. Sem. 4. frig. maj. ʒiij.

Aq. cichor. ʒvj.

F. l. a. emuls. edulc. adde

Mag. comall.

perlar.

ocul. 69. ā ʒß.

Ambr. grys. gr. ij. M. det. &

S. Stärkmilch wohl umge-
rührt/ nach belieben davon zu
nehmen.

XLVIII. Si dolor urget & fluxus non cessat, interdum
ad Narcotica confugiendum. Veteres Requiem Nicolai & Phi-
lonium Roman. offerebant; Hodie Laudanum Opiatum no-
tum.

ment balsamum 1. & 2. *Croll. Ung.* ejus anodynum, it. aq. antipod. *Rulandi*, descripta ab *Hartmanno* in *prax. Chimiæ*. p. 187. it. Spiritus salis ammoniaci *Paracelsi*. In principio, si pedis pollicem tantum adoriatur, seq. laudat *Riverius*: *Rx. album ovor. Nō. ii. Ovis triti parum Acet. rosa. gt. aliq.* Excipiatur stupis, & applicetur. Idem commendat oleum ex pedibus vituli extractum, quod hoc modo elicitur: pedes vituli contundantur & ossa confringantur; oleum supernatans aquæ misce cum aquâ vitæ & sale, iisque partes dolore affectæ illinantur. Ab aliis seq. laudatur: *Rx. Aqv. sperm. rinar. Taps. barb. filic. ā libß.* In quibus infunde tutiæ, lythargirii ā *ʒij.* vitriol. calcin. alum. ā *ʒj.* Misc. hisce tepidè partes foveri debent. vid. *River. de Arthr.* pag. 374. Huc pertinet etiam oleum Raninum *Stockeri* descriptum in ejus praxi aureâ *cap. de arthr. & ejus part.* Unguentô *Montag.* sapius cum optimo successu usus sum:

Rx. Sem. Psyl. ʒj. fiat mucilago adde

Cera ʒij.

Ol. comm. ʒij. f. ung. moll.

Sign. *Linderungs. Salbe.*

Si verò hæc & similia nil proficere videbis, ad narcotica fugiendum; de quibus verò monent Practici, ne diutius in partè aliquâ retineantur, cum calido nativo & nervis admodum sint inimica. *Narcotica* a. sunt, quæ parti affectæ stuporem inducunt, ac sensum hebetant, ne objectum dolorificum amplius percipiat. Simplicia sunt fol. hyoscyam. Rad. madrag. sem. papav. alb. semperviv. solanum, folia nicot. recent. & opium ipsum. Ex compositis sequentes adhiberi possunt. *Platerus* scribit, si in spiritus vini simplicis vel croci infusione flavescentis *ʒiiij.* opii *ʒj.* & camph. *ʒj.* dissolvatur, præstantissimum esse remedium. *Riverius* seq. habet: *Rx. Fol. hyoscy. mij.*

Solan. semperviv. ā mij.

Capit. papav. alb. hort. pj.

Rad. mandrag. ʒj.

Flor. Chamem. viol. ā pj. fiat decoctio

in aquâ vel lacte, quâ locus foveatur. Elegantiâ anodyna & narcotica alia vide apud *Quercet. Cons. de arthr.*

L. RE-

L. RESOLVENTIA sequuntur, quæ humores im-
pactos per dissolutionem & dissipationem evocent; verum et-
iam hic cautè agendum, ne discussis aqueis partibus terrea re-
maneat, ex quâ facilè topi generentur. Talia itaque ea debent
esse, quæ tartarum resolvendi vim habent. Variè autem ab Au-
thoribus adhibentur, in formâ sc. aquæ, olei, unguenti, balsa-
mi, suffitûs, cataplasmati, emplastri, & similia. *Rulandus* in
suis *Centur.* mirè deprædicat suam aquam antipodagricam, cu-
jus tamen descriptionem reticet: *Libavius* verò & *Petrus* ita
se habere existimant:

Rx. aqu. font. ℥j.
fort. ℥ss.
sublim. ʒj. bulliant per horæ qua-
drantem, & applicetur partibus dolentibus pannis lineis ma-
defactis. *Quercet.* in suâ *Pharmacop.* sequentes reliquit:

Rx. Mur. sal. & urin. puer. à p. a. destillentur,
& aqua foveantur partes cum linteis sæpè renovandis. Item

Rx. Fol. & flor. samb. vir. à ℥j. contundantur & macerentur
in aq. vit. idq; per 3. dies, destilletur per vas vitr. vel cupr.
ad siccitatem. Idem *Quercet.* in *Cons. de Arthr. & calcul.* de a-
quâ suâ antipod. quam sibi tanquam veterano militi aliquid
athletici artificii reservasse censet, gloriatur, vimque ipsi attri-
buit penetrandi ad radices usque morbi atq; resolvendi & at-
tenuandi materias tartareas ac gypseas, ac sales in juncturis
concretos. Huic verò fortè non absimilem, nec inferiorem,
describit *River.* de *arthr.* p. 378. hisce verbis: *Rx.* Calc. viv.
℥. iiij. extinguatur in aqu. fluv. s. q. & relinquatur in cella vina-
ria trium dierum spaciò, ut melius sal extrahatur ex calce. Postea
parùm bulliat, & coletur per manicam Hippocratis, in colat. ℥. xx.
extingue septies, aut novies, primò laminas chalybis ignitas, secundò
laminas cupri ardentes, tertio vitriolum ad albedinem calcinatum
ad ʒx. quartò antimonium liquefactum in crucibulo ad ℥ss. quin-
tò lythargiri & cerusse in crucibulo calefactæ ℥ss. mercurii preci-
pitati albi unicâ lotionè loti ʒss, aris usti subtiliter triti ʒss. Post
extinctionem horum mineralium aqua supersedeat in cellâ vinariâ
decem dierum spaciò. Postea parùm bulliat & coletur per mani-
cam

cam Hippocratis. Hæc aqua calente lintea duplicata imbuantur & applicentur frequenter. Valdè etiam discutit seq. sæpiùs expertum:

Rx. Spir. flor. lavend.

nuc. mosc.

roris mar. ā ʒj.

☉. ☽. ♀. ā ʒß. M. detur ad vitr.

& Sign. **Eufferliches Wasser in der Sicht mit einer Feder anzustreichen.**

Plura hîc addere inutile erit, quum peti possint ex variis autoribus: inprimis consulatur *River. Solen. Trallian.* aliiq̃ue practici insignes. **TOPHACEA** & nodosa podagra verò difficulter curatur, præsertim si inveterata sit; si autem nodi adhuc recentes sint, emollientibus & resolventibus dissolvi possunt, ut:

Rx. Spir. vin. ʒj.

♁. ʒij. M. detur &

Sign. **Nüssliches Wasser in den Knorren der Sicht.**

Galenus commendat emplastrum ex caseo veteri, & acri cum decocto pernae suillæ salitæ subacto. Alii verò suillos pedes coquant, mucilaginemq̃ue ipsam sumunt cum casei antiqui partibus duabꝫ & pulvere nasturtii parte unâ, ut emplastrum fiat; quod etiam facit gummi ammoniacum in aceto dissolutum. *Ruland.* inungit eos ter de die oleo Sulph. imponitq̃ue emplastrum diasulphuris calens. *Sennert.* seq. cerotum molle habet:

Rx. Succ. tab. ʒij.

cer. cicrin. ʒij.

resin. pin. ʒiß.


terebinth. ʒj. F. Cer. m. Si verò invete-

rata nodosa sit, speranda quidem hisce mitigatio est; topi verò nequaquam cedunt, ideoq̃ue caustico leviori cutis aperienda est, & emplastro attractivo aliquo topi eximendi, posteaq̃ue vulnus rursùm consolidandum.

Dieta quomodo sit instituenda ex antea allatis patet, ideoque jam

Anchora de prorâ jacitur, stant littore puppes.

SOLI DEO GLORIA.



Splendida non tantum majorum stemmata jactas,
LANCKISCH nominibus patrum titulisq; beate;
Antiquam sed virtutem, qua vera paratur
Nobilitas, semper constanti pectore servas.
Hoc pulchro monstras exemplo, quando Lycei
Scandis honoratam nostri superamq; cathedram,
Atq; doces juvenum circum plaudente catervâ
Solvere nodosam queat ut Medicina Podagram.
Maeste hac laude Tuâ! maeste his virtutibus, auge
Nomen majorum famâ super æthera notum,
Sic Tua venturis transcribes nomina seclis.

Gratulabundus adproperabat

Christoph Schelhammer
D. p. t. Rector.

Nobilitas generis magna est; sed major, ab arte
qua venit in terris, est ea nobilitas.

*Utraq; mi LANCKISCHI, te comitatur: honorem
hinc merito summum noster Apollo dabit.*

*Gratulor, ad votum succedant omnia, multum
lugeat & sub te dira podagra precor!*

Boni ominis, amoris & honoris
ergo deproperab.

Gothofredus Mæbius D. Praeses
Fac. p. t. Dec.

LANCKISCHI, Aonidum in castris celeberrime miles,
non tantum cerae calcas vestigia avitæ,
nobilium clarae titulis, sed mascula virtus
tramite felici TE ducit honoris ad ædem.

F

In

In laudem cedant atque irrequiete labore
consilioque ægris succurre, extendere summa
cura fiet factis famam, sic clarus in arte
fies Phœbeâ, & nomen super astra repones.

*Fausta gratulationis symbolum
adponebat*

**Guernerus Rölfinck Med. D.
& Professor publicus.**

Sunt qua nobilitant homines: Genus arsque, quod ajunt,
Te penes est, laudo, laudis utrumque decus.
Sed quid Apollineæ subit artis amanda Cupido
Docta caterva virum, Te Rege, Apollo! prait.
Scilicet hoc propter libuit migrare per orbem
ut Clarum tandem, nomen ad astra feras.
Premia nunc restant tribuenda, coronat honore
Noster Apollo caput, fautor amice tuum.
Gratulor exoptans, mediâ Styge sistere Cymbam
sis potis, & morbi quò genus omne fuges.

His levibus Nobilissimo ac Clarissimo
Dn. Doctorando amico suo singulari
gratulari voluit

**Joan. Caspar. Bowis
Medic. Doctorandus.**

Nescit nodosam Medicus curare podagram
Fert Vates, vulgusque terit sermone procaci,
An credam? Nolim. Nam das heic pharmaca, quorum
Auxilio possis tantos auferre dolores.
His de qui dubitat, morbum experiatur, & inde
Te Ductore sibi sumat medicamina dicta,
Nec Vati, vulgove magis nec credet inertis.

*Nobili ac Experientissimo Viro Gothofredo
à Sanctisch ad summos in medicina ho-
nores adspiranti hæc honoris & amoris
ergò l. apponebat*

**M. Philippus Buffon Stetinensis.
Antea**

Niteus/erberus/Ernea/Drach und Schwein/
Und was sonst andre mehr der Ungeheure seyn/
Mit welchen Herkules so glücklich könnte ringen/
Wiewol durch Junons Haß/sind besser fast zu zwingen/
Als eben diß mag seyn/da wieder unverzage
Ihr/werther/Luren Sinn/und Hand und Feder wage.
Hat der gleich schlechten Lohn von Simfalen genommen/
Ist doch sein hoher Ruhm zu unsern Zeiten kommen/
Und bleibet mit der Welt; hie wird es anders gehn/
Hier ist kein' Simfale. Ihr werd geehret stehn (ten/
Mit Purpur; Und der Ruhm/den man Euch wird bereiz
Wird mit der alten Welt/wer länger stehn sol/streiten.
Diß bleibet unversehrt der Tugend Eigenthum/
Je höher sie sich schwingt/ie grösser ist ihr Ruhm.

Mit diesem hat seinen hochgeehrten Herrn nechst
herzlicher Glückwünschung bedienen wollen

Sebast. Georg von Wedel.

Nicht ein geringes ist's Schild/Helm und Wappen führen
Von vielen Ahnen her: doch wer von Wiegen an
Die angeerbte Zier/auff offner Tugend Bahn
Aus eyfer-vollem Sinn/gedencket zubezieren
Mit grösserm Ehrenpreis/in diesem läst sich spüren
Ein himmel-hoher Geist/der weiter denckt hinatt
Als wo der Pöfel kreucht. Diß habt ihr auch gethan
Herr Lanckisch werther Freund. Ich wil iht nicht berüh-
Das Alter/des Geschlechts/den Zierath vom Geblüte/ (ren
Mehr rühmens werth ist es/das sich der Sinn gewandt
Zu einer edlen Kunst/und Dienst dem Vaterland/
Das also ewer Stand auch edel vom Gemüthe.
Ich wünsche hierzu Glück/die hohe Doctor-Ehr
Erschalle weit und breit/die Kunst ie mehr und mehr.

Seinem hochgeehrten Gönner zu Ehren
auffgesetzt durch

M. Johan Franken von Zittau
aus Oberlausnitz.

Supremis si me, LANCKISCHI, Juppiter ipse
adjuvet, his Theſibus quæ Sophia infideat!
Artem dum Spagyram Medicæ conjungis, & unâ
ostendis, Podagram; tollere quive queas
Exulet hinc Ætas Priscorum, ignara Podagræ
Naturæ veræ, nescia tum Spagyra.
Noſtri Lanckischi Diaſcepiſis monſtrat abunde
quæ Natura fiet, Curaq; quæ Podagræ.
Perge parem Lanckischi, magis ac mage tradere morbum,
Arte docens talem tollere cum Spagyra.
Sic prodeſſe potes nunc & mortalibus olim
Nominis & maneat lausq; decusq; Tui.

Deprop.

*teſtandi amoris & obſervantia ergò in Nobiliſſ.
atq; Clariſſ. D. Doctomndum Amicum ſin-
gulariter dilectum.*

Fridericus Hoffmannus Hal. Sax.
Øiliater.

Errata benevolus Lector ſic corriget.

*Pag. 2. l. 18. pro dolore leg. podagrâ p. 3. l. 3. pro hi. leg. hic pro ſint,
ſit, l. 8. Symptoma. lin. 10. morbus, appelletur. pag. 5. l. 29. prodeun-
tes. p. 8. l. 5. add. tum ſanguin. l. 6. patefacit pag. 9. l. penult. dele
ſunt. p. 11. l. 13. item, pag. 12. pro â leg. in. l. 34. εὐδὴλων p. 13. l. 17. Cœl.
l. 22. iſti p. 14. l. 11. Venereo l. 28. indice. p. 15. l. 10. dele curationem &
lege dolores l. 12. illi l. 19. curari l. 24. morbi, 115. p. 16. l. 30. inquiramus.
l. 33. dele idem p. 17. 29. vervecina, p. 18. l. 11. viſ fortior. l. 16. vitellus
calidus humidus l. 17. fugiant. p. 19. l. 18. potu. p. 21. l. 21. expertem
p. 22. l. ult. pilula p. 23. l. 12. conjiciant l. 26. Mechoac p. 24. l. 21. con-
ducit vomitus l. 25. ruminante p. 25. l. 5. detur. l. 8. Hemet. p. 27. l. 10.
liberi l. 16. probet. p. 31. l. 16. corrigendi p. 35. l. 17. merito ad ea l. 21. in-
ſnuant.*

FINIS.


ULB Halle
005 132 606


3



V017







4.

1650, 2

15

In Nomine Supremi Archiatri
DISPUTATIO IN AUGURALIS MEDICA

DE

PODAGRA,

Quam

Jussu & autoritate Magnificæ, Nobilissimæ, ac Gra-
tiosissimæ Facultatis Medicæ in celeberrimâ ac floren-
tissimâ Academiâ Salanâ

SUB PRÆSIDIO

*VIRI Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi, ac
Experientissimi*

DN. GOTHOFREDI MOEBII,
Med. D. ac Prof. Publ. celeberr-

rimi, Electoralis Brandenburgici & Administ. Ar-
chiEpisc. Magdeburg. Archiatri eminentissimi, Domini
Promotoris, ac Patroni sui omni honoris & obser-
vantia cultu æviternum devenerandi,

PRO LICENTIA

*Impetrandi legitimeq; obtinendi Summos in Arte Me-
dicâ HONORES ac PRIVILEGIA*

DOCTORALIA,

Publico placidoq; Philiatorum examini submittit

GOTHOFRIDUS à Landisch in Hörnitz
Zittan. Patrit.

Ad diem 6. Septemb.

Loco & Horis consuetis,

Excudebat CHRISTIANUS LAURENTIUS Kempff/
ANNO M. DC. L.

